

nunciaturum, non potest ab ipso absolvi, licet sit Privilegiatus. — 52. Pœnitens sollicitatus, qui ob omisam denunciationem incidit in Excommunicationem, facta postea denunciatione, potest quidem absolvi a Privilegiato, non autem a simplici Confessario. — 53. Sic Pœnitens sollicitatus, qui intra debitum tempus non denunciavit, quamvis postea extingatur onus denunciationis, non potest absolvi a simplici Confessario, sed solum a Privilegiato. — 54. Confessarius sollicitatus potest a quolibet simplici Confessario absolvi. — 55. Regulariter loquendo Confessarii non debent absolvere Pœnitentes sollicitatos, nisi prius sollicitantem denuncient Inquisitoribus, vel Episcopis. — 56. In aliquibus tamen casibus expedit, quod Confessarii ipsos absolvant ante factam denunciationem. — 57. Confessarii cautissime procedere debent circa imponendam pœnitentibus obligationem denunciandi. — 58. In casu, quo reperitur intervenisse veram sollicitationem, nec possit pœnitens induci ad personaliter denunciandum, ut sæpe accidit in verecundis nobilibus mulieribus, Monialibus, servanda est praxis juxta Decretum allatum supra n. 40. Quod si neque ad id possit talis verecunda pœnitens flecti, recurrendum est ad Sanctam Sedem, et interim tamquam indisposita nequit absolvi. — 59. Non est autem sufficiens modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis, si pœnitens sollicitatus confiteatur cum Confessario sollicitante sub prætextu, quod hic possit ipsum absolvere absque onere denunciandi. — 60. Quamvis Confessarius non moneat Pœnitentem de obliga-

ARTICULUS I.

Quæ requirantur in confessario ad valide, et rite ejus officium exercendum.

(1. In confessario, ut valide ejus Officium exerceat, requiritur Intentio, Potestas Ordinis et Jurisdictionis. (2. Intentio Confessarii est conditio sine qua non, ita ut sine ea Sacramentum Pœnitentiæ sit invalidum, quia Sacramentum debet exerceri modo humano, adeoque debet esse volitum. (3. Et talis intentio ut sit sufficiens debet esse actualis, aut virtualis, nec sufficit habitualis. (4. Est communis Doctorum. Potestas Ordinis necessario requiritur in Confessario, quia solus Sacerdos est legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, ut de fide definitum est in pluribus Conciliis, et signanter in Trident. sess. 7. canon. 10. ibi: « Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et in omnibus Sacramentis, administrandis habere potestatem, anathema sit; » et sess. 14, cap. 6, ibi: « Circa ministrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus falsas esse, et a veritate Evangelii pœnitens alienas doctrinas omnes, quæ ad alios quosvis homines, præter Episcopos, et Sacerdotes, Clavium ministerium perniciose extendunt, » etc. et Canon. 10. ejusdem sess. 14. ibi: « Si quis dixerit... non solos Sacerdotes esse Ministros absolutionis, sed omnibus, et singulis Christi fidelibus esse dictum: quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in Cælo, et quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo, » et quorum remiseritis peccata remittuntur eis, etc., anathema sit. » (5. Et clare constat ex c. 20. Joan. ubi Christus solis Apostolis jam antea in ultima Cena in Sacerdotes ordinatis, postquam a mortuis resurrexerat, dixit: « Accidite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis

tione denunciandi, adhuc pœnitens ad id tenetur. — 61. Confessarii, qui culpabiliter, et malitiose non moneant pœnitentes ab aliis sollicitatos de obligatione eos denunciandi, seu docent ad id non teneri sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus, qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ. — 62. Confessarii ipsi vere sollicitantes gravissimis pœnis pro qualitate delicti puniendi sunt. — 63. Contra Confessarios sollicitantes æque procedere possunt Episcopi, et Inquisitores, sive unitim, sive separatim. — 64. Ad probandum enorme delictum sollicitationis admittuntur testes singulares concurrentibus tamen præsumptionibus, iudiciis, et aliis adminiculis simul comprobantibus. — 65. Una tamen fœmina, quantumvis honesta, non facit sufficientem probationem ad capturam et torturam, etiamsi concurrant alia iudicia, sed tunc est consulenda S. Congr. — 66. Circa sollicitationem attendenda est nunc novissima Constitutio Benedicti XIV, in qua confirmat, et ampliat Constitutionem Gregorii XV, et reservat Papæ absolutionem eorum, qui falso Sacerdotes de sollicitatione accusant, aut procurant ut ab aliis falso accusentur. — 67. Sollicitantes ad turpia occasione Confessionis Sacramentalis, incurrunt inhabilitatem ad celebrationem Missæ. — 68. Sollicitatus nulla lege prohibetur, quominus ante denunciationem sollicitantes, illum occulte admoneat. — 69. Præceptum denunciandi Confessarios sollicitantes ad turpia, et pœnæ aliæ huic sollicitationi indictæ non extenduntur ad crimina a re venerea diversa.

peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt. » (6. Potestas Jurisdictionis etiam necessario requiritur in Confessario, quia licet solus Sacerdos sit legitimus Sacramenti Pœnitentiæ Minister, non tamen quicumque Sacerdos est talis, sed solum ille, qui præter potestatem Ordinis, habet etiam potestatem Jurisdictionis, idest legitimam Jurisdictionem, vel ordinariam, vel saltem delegatam. (7. Et talis Jurisdictio Confessarii est jus in subditos ad exercendam potestatem absolvendi, quam ex vi Ordinis Sacerdos habet. (8. Unde absolutio data a Sacerdote sine Jurisdictione est nulla ex Tridentino sess., 4. cap. 7. ibi: « Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet jurisdictionem. » (9. Et ad hoc faciunt duæ sequentes propositiones damnatæ ab Alexandro VII. 24 Septemb. 1665, quarum prima tertiadecima in ordine sic habet: « Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobat. » Et secunda in ordine 16. sic habet: « Qui Beneficium Curatum habent possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario. » (10. Et ratio etiam est clara, quia absolutio est actus judicialis, adeoque ex parte Sacerdotis requirit jurisdictionem in subditos: nam sententia a suo Judice lata, nulla est ex defectu jurisdictionis; cap. At si Clerici 4, de jud. et Regul. 26. Juris in 6, et Trident. cit. sess. 14, cap. 7, ibi: « Quoniam igitur natura, et ratio Judicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur. »

(11. Unde ex defectu Jurisdictionis simplex Sacerdos non approbatus neque valide

potest absolvere a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis, ut tenent Mastrius disp. 21, q. 8, num. 202. Faber, Brancatus, et Scotistæ magis communiter cum variis aliis; et ratio est, quia licet materia sit libera, absolutio tamen est sententia, et actus Judicii, qui actus Judicii in non subditos est nullus; cit. c. At si Clerici, et Regul. 26, Juris in 6, et Trid. cit. sess. 14, c. 7. (12. Et ad hoc facit, quod oppositæ opinionis usus fuit prohibitus ab Innocentio XI, 12 Februarii 1679, in Decreto de expresso suo Ordine edito a Sacra Congregatione Concilii circa communionem quotidianam, et Confessionem venialium; ibi: « Non permittant, ut venialium Confessio fiat simplici Sacerdote non approbato ab Episcopo, aut Ordinario. » Hinc absolutio impertita a Sacerdote non approbato ab Ordinario loci, nulla declaratur a Benedicto XIV, tom. 1, Bullar. Constit. 100, incip. Apostolica. (13. Possunt tamen simplices Sacerdotes in articulo mortis absolvere, nedum a venialibus, et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus, et Censuris etiam reservatis, ex Trident. sess. 14, cap. 7, ibi: « Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in eadem Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis, atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, et Censuris absolvere possunt. » (14. Pro tali enim casu Ecclesia dat Jurisdictionem omnibus Sacerdotibus, et tollit omne impedimentum Canonicum ex parte ipsorum, ut possint, licet sint degradati, Excommunicati, vitandi, Irregulares, Apostatæ, seu, hæretici, absolvere quoslibet fideles a quibuscunque casibus, et Censuris, quantumvis reservatis, maxime si non adsit promptus alius Sacerdos approbatus, aut proprius Parochus, ut est communis Doctorum sententia. (Vide tamen verb. Sacerdos, n. 38, et notam ad verb. Absolutio, Art. 1, n. 49, in Tomo 1.) (15. Quæ ampla potestas extenditur ad probabile periculum mortis, ut tenet communior Doctorum cum Barbosa de Offic. et potestat. Episcopi allegat. 25, num. 81, et cum Mastro disp. 21, q. 8, num. 203. In Jure enim quoad rem pro eodem sumuntur periculum, et articulus mortis; c. 29. Si quis suadente 17, q. 4, c. Eos qui, de sentent. excommunic. in 6. (16. Notanter autem fuit dictum, maxime si non adsit promptus alius Sacerdos approbatus, aut proprius Parochus, quia probabilis est quod simplex Sacerdos non possit absolvere præsentem Sacerdote approbato, cum tota ratio, propter quam conceditur simplici Sacerdote facultas tunc absolvendi, sit, ut dicit Tridentinum loco citato: Ne hac ipsa occasione aliquis pereat, quod periculum non adest, stante præsentem Sacerdote approbato (1). (17. Hinc aliqui Canones exprimebant hanc concessionem fieri in defectum

(1) Falsum omnino est, simplicem Sacerdotem, præsentem approbato, absolvere posse; tunc enim necessitas illa deest, ex qua simplex Sacerdos jurisdictionem acquirit. Itaque probabile non est, sim-

Sacerdotis approbati; cap. Aurelius 5, c. Presbyter 14, caus. 26, q. 6, et facit Regula ff. de regul. Juris, quod cum aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus urget necessitas, et regul. 78, Juris in 6, ibi: In argumentum trahi nequeunt quæ propter necessitatem aliquando sunt concessa; Et sic declarasse Sacram Congregationem Concilii refert Pignatell., tom. 10, consult. 163, n. 15.

(18. Ex dictis colliges primo, quod Confessarius Sacramentum Pœnitentiæ sine debita intentione administrans peccat gravissime, et Sacrilegium committit; defectus enim voluntarius debite intentionis in Confessario est gravissima irreverentia facta Deo, et Sacramento, et perniciosissima injuria facta pœnitenti; (19. Immo graviter peccaret et sacrilegium committeret, etiamsi Sacramentum simularet ex gravi metu, vel alia gravi causa; Sic v. g. si pœnitens absolutione indignus minaretur mortem Confessario, nisi distincte, et integre verba absolutionis proferret, non posset distincte, et integre proferre sine intentione absolvendi. Et ratio est, quia talis simulatio est gravis irreverentia facta Deo, et Sacramento, quoniam qui affirmat Ego te absolvo sine intentione absolvendi, mentitur, affirmat enim se absolvere, cum revera non absolvat; mentiri autem circa formam Sacramenti est magna irreverentia illata Sacramento, et Christo ejus Institutori; propterea simulatio in Sacramentis est ab intrinseco mala, et hac ratione non excusat metus gravis. Colligitur a simili ex cap. de homine 7. de celebratione. Missarum, ubi Innocentius III. refert, et damnat casum de Sacerdote, ut sequitur: « Quæsi videris, quid de incauto Presbytero videtur, qui cum se sciat in mortali crimine constitutum, Missarum solemniam, quæ non potest propter necessitatem quamlibet intermittere propter sui facinoris conscientiam dubitat celebrare, peractisque cæteris circumstantiis Missam celebrare se fingit, et suppressis verbis, quibus conficitur Corpus Christi, panem, et vinum tantummodo pure sumit, ita credens per id, quod præterdit populo satisfacere, ut per hoc quod intendit, Deum non debeat provocare. » Ad quem casum respondet immediate Pontifex præcisus his verbis: « Cum ergo falsa sint abjicienda remedia, quæ veris sint periculis graviora; licet is, qui pro sui criminis conscientia reputat se indignum, peccet graviter, si se ingerat irreverenter ad illud, gravius tamen videtur offendere qui sic fraudulenter illud præsumperit simulare, cum ille in solius misericordis Dei manum incidat, iste vero non solum Deo (cui non veretur illudere) sed populo, quem decipit, se astringat: » (20. Ex quibus Pontificis verbis sic arguitur: Non est minor irreverentia Sacramenti, sed fortasse major dicere verba ab-

plicem Sacerdotem absolvere quempiam posse, approbato ad audiendas confessiones præsentem (Nota Rem. Theologi.)

solutionis sine intentione absolventi, quam suppressere verba consecrationis in casu, quo teneatur ea proferre; sed sic suppressere verba consecrationis declarat Pontifex esse illudere Deo; ergo proferre verba absolutionis sine intentione absolventi, est Deo illudere, quod cum sit contra reverentiam Sacramenti, nullo metu, justificari potest. (21. Et facit ad hoc propositio 29. in ordine 65. ex damnatis ab Innocentio XI. 2. Martii 1679. ibi: « Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi; » (22. Sic Cardenas disp. 20. in proposit. 29. cap. 5. n. 49. et 61. Qui tamen num. 52. concedit quod Confessarius, qui reperit poenitentem absolutione indignum, quatenus, v. g., est in occasione proxima peccati, quam non vult relinquere, ne prodatur apud adstantes poenitentis indignitatem, possit obmurmurando recitare *Pater noster*, vel hujusmodi, quia ea non est in rigore simulatio Sacramenti, nam omnino materialiter se habet ad Sacramentum; nec sunt verba absolutionis, unde proprie est medium ad vitandam fractionem Sigilli, ad quod Confessarius tenetur de jure divino, naturali, et Ecclesiastico, et deceptio adstantium, quæ sequitur, non intenditur, sed permittitur.

(23. Colliges secundo, quod nemo sine potestate Ordinis, etiamsi esset in Sacris constitutus, potest in ullo casu Confessiones excipere, lib. 3. Constit. Apostol. c. 10. Leo X. Constit. 40. incip. *Exurge*; Concl. Trident. sess. 7. can. 10. et sess. 14. c. 6. et can. 10. ejusdem sess. 14. ut patet ex ejusdem verbis adductis supra num. 4. (24. Unde Sacramentaliter audens absolvere, cum non sit Sacerdos, fit suspectus de hæresi, et est cogendus ab Inquisitoribus abjurare de vehementi, et licet esset minor 25. annorum, dummodo compleverit vigesimum annum, est degradandus, et brachio sæculari tradendus, et ultimo supplicio afficiendus ex Clem. VIII. Constit. incip. *Et si alias*, et Urbani VIII. Constit. 79. incip. *Apostolatus officium*. (25. Colliges tertio, quod nullus Sacerdos, sive sæcularis, sive Regularis possit præsumere Confessiones excipere sine potestate jurisdictionis, et consequenter etiam sine approbatione, aliter nulla esset absolutio, gravissime peccaret, et posset, immo deberet severe puniri, ut colligitur ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 15. de reform. ibi: « Quamvis Presbyteri in sua ordinatione a peccatis absolventi potestatem accipiant, deerevit tamen Sancta Synodus nullum etiam Regularem posse Confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem quæ gratis debetur, obtineat, privilegiis, et consuetudine quacumque etiam immemorabili non obstantibus; » Et de nullitate absolutionis ob defectum jurisdictionis patet expresse ex verbis ejusdem Concilii, adductis supra n. 8. (26. Et quod gravissime

peccaret Sacerdos non approbatus, et sine jurisdictione excipiens Confessiones, patet aperte, ex quo contraveniret in re gravissima expressæ Concilii inhibitioni, et temere, et sacrilege, invalide, et nulliter Sacramentum administraret. (27. Quod autem possit severe puniri Sacerdos etiam audens sine approbatione, et jurisdictione Confessiones sæcularium excipere, habetur ex expressa declaratione Sacræ Congregationis Concilii in Neapolitana 14. Aprilis 1646. ad cap. 15. sess. 23. de reform. ubi cum quæsitum fuisset: Qua pena, et a quo sit puniendus Sacerdos Regularis, qui absque prævia Ordinarii approbatione Confessiones personarum sæcularium audit, eo quod in Sacro Concilio nulla legitur poena adjecta, nec a quo sit inferenda? Respondit Sacra Congregatio, « posse puniri ab Episcopo poenis etiam Censurarum; » et sic statuerunt plures Summi Pontifices, et signanter Gregorius XV. Constit. incip. *Inscrutabili*, et Innoc. X. die 15. Maii 1648. Constit. incip. *Cum sicut accepimus*, ubi postquam confirmavit decretum Sacræ Congregationis specialiter deputatæ super ortis controversiis inter Episcopum Angelopolitanum, et Patres Societatis Provinciæ Mexicanæ, statuit, « contravenientes ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ delegato coerceri, et puniri posse etiam Censuris Ecclesiasticis in vim Constitutionis Sanctæ memoriæ Gregorii XV. incipient. *Inscrutabili Dei providentia*: ac proinde memoratis Religiosis, qui hujusmodi approbationem, et licentiam se obtinuisse non docuerunt, potuisse Episcopum, sive ejus Vicarium Generalem, præcipere sub poena Excommunicationis latæ sententiæ, ut a Confessionibus audiendis.... abstinerent. »

(28. Hinc advertendum venit primo, quod jurisdictio, seu potestas jurisdictionis est duplex, ordinaria scilicet, et delegata. Jurisdictio Ordinaria est illa, quæ annexa est alicui Officio, seu dignitati, quæ propterea ipso jure competit habenti tale officium, seu dignitatem, id est qua quis ex vi proprii officii (ut pote cui annexa est cura animarum) habet subditos, quos in Foro Conscientiæ judicare potest. Et talem habet Papa in omnes Christi fideles, Episcopus in omnes ad suam Diocesim pertinentes, Parochus in suos Parochianos, Prælati Regulares in suos subditos, ut Generales, Provinciales, Abbates, Priores, Rectores, Præpositi, Guardiani, et hujusmodi; ipsi enim omnes alia approbatione non indigent, ut suorum respective subditorum Confessiones excipiant, quia tam de jure communi, quam ex propriis ejusque Religionis Constitutionibus sunt proprii Sacerdotes respectu suorum respective Subditorum. (29. Jurisdictio delogata est illa, quæ habetur ex commissione alterius habentis ordinariam, id est quam quis absque collatione alicujus Beneficii Curam animarum habentis, accipit ab habente jurisdictionem ordinariam; et talem habent Sacerdotes sive sæculares, sive Regulares nullum habentes Beneficium Curatum, sed

tamen legitime approbati, et admissi ab Ordinariis ad Confessiones excipiendas respectu sæcularium; et sic Religiosi a Generalibus, vel Provincialibus approbati, et admissi ad Confessiones excipiendas respectu Religiosorum suæ Religionis, vel respectu Provinciæ. (30. Advertendum est hic secundo, quod potestas Ordinis, quantum ad facultatem absolventi, et potestas jurisdictionis, in hoc inter se differunt, quod potestas Ordinis Presbyteris omnibus data in sua Ordinatione est potestas remota, et in habitu tantum, non autem in actu, seu quantum ad usum, quatenus scilicet Sacerdos vi Ordinationis accipit a Christo potestatem ad absolventum, sed non accipit pro tunc Subditos, in quos possit actu exercere potestatem; potestas autem jurisdictionis est potestas proxima, et in actu quantum ad usum, quatenus scilicet Sacerdos per collationem Beneficii Curati, vel per concessionem excipiendi confessiones sibi ab Ordinario factam, recipit potestatem actualiter exercendi talem potestatem in subditos sibi actualiter assignatos; ut patet ex Trid. in d. c. 15. sess. 23. de reform. et tradit Fagnan. in cap. *Omnis* 12. de poenit. et remissionib. sub. num. 84. (31. Et hæc differentia solet exemplificari in Doctore in jure, qui licet in sui creatione, qua Doctor juris declaratur, accipiat potestatem, ut ubique locorum possit jus dicere respectu sibi subditorum, non tamen statim a sui graduatione potestatem judicium exercere, cum nondum sint sibi assignati subditi, in quos jus possit dicere, sed solum tunc primum potestatem judicium exercere, cum alicubi, vel ex officio, vel ex delegatione Superioris quosdam acquirat subditos, in quos possit jus dicere, et sententiam valide proferre, cum sententia lata in non subditos, et a iudice non suo, sit nulla; l. ultima C. *Si non a competent. Judic. l. Factum a Judic. ff. eodem tit. cap. At si Clerici, l. de Judicis*, ibi: « Sententia a non suo Iudice lata non tenet. » Regul. 26. juris in 6. ibi: « Ea quæ fiunt a iudice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt. » (32. Ita a pari servata proportione, discurrendum est de Sacerdote, qui quamvis in sua Ordinatione accipiat potestatem absolventi a peccatis, non tamen statim a sui Ordinatione potestatem ipsam exercere, cum nondum sint ipsi assignati subditi, in quos ipsam potestatem exerceat, sed solum tunc primum potestatem talem potestatem exercere, cum alicubi, vel ex officio, vel ex delegatione Ordinarii quosdam acquirat subditos, in quos possit actu judicium Sacramentale exercere, et sententiam absolutionis valide proferre, cum etiam sententia absolutionis lata in non subditos, et a Iudice non suo, sit nulla, ut expresse declarat Conc. Trid. sess. c. 7. ibi: « Quoniam igitur natura, et ratio iudicii illud exposcit, ut sententia in subditos dumtaxat feratur, persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse Synodus hæc confirmat nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam,

aut subdelegatam non habet jurisdictionem. » Et consimiliter sess. 23. cap. 15. de reform. per verba adducta *supra sub. n. 25.*

(33. Advertendum tertio, etiam errorem communem posse conferre, seu dare jurisdictionem. (34. Error autem communis potest capi dupliciter: Error communis cum titulo colorato, seu putativo, et Error communis sine titulo colorato, et putativo. Error communis cum titulo colorato, seu putativo est, cum Sacerdos realiter obtinuit a legitimo Superiore titulum requisitum ad actum absolutionis, v. g. titulum Parochi, vel approbati, et admissi Confessarii; sed vel nulliter obtinuit, in quantum erat incapax ob aliquem occultum defectum, et impedimentum Canonicum, nempe quia Simoniacus, etc., vel talem titulum amisit; talis vero incapax, aut amissio tituli communiter ignoratur, et communiter a fidelibus existimatur, eum habere verum, et legitimum titulum. (35. Error communis sine titulo colorato, et putativo est, cum Sacerdos non obtinuit realiter a legitimo Superiore titulum requisitum ad actum absolutionis, sed ipse Sacerdos talem titulum fingit, aut ignoranter credit, et dicit habere, et talis fictio, et carentia tituli communiter ignoratur, ut cum Sacerdos, qui cum falsa licentia Confessiones excipit, aut cum falsis Bullis pro Parocho se gerit, communi populi errore legitimus Confessarius, aut Parochus reputatur. (36. Error igitur communis cum titulo colorato, et putativo dat, et confert jurisdictionem ad valide absolventum, licet occultum subsit impedimentum ex jure positivo proveniens. Hæc sententia est moraliter certa, et sic docent communiter Doctores, arg. l. *Barbarius Philippus*, ff. de offic. Prælat. et cum Jurist. axiom. quod Antonius Gabriellus communium concl., lib. 1. concl. 8. de prob., n. 1. refert: « Communis error facit jus, et veritati præfertur, » etc. *Infamis* 1. caus. 3. q. 7. ibi: « Si servus cum putaretur liber, ex delegatione sententiam daret, quamvis postea in servitutem depulsus sit, sententia ab eo dicta rei judicatæ firmitatem tenet; » Glossa in l. 3. ff. de suppellectili legata, verb. *Error jus facit*; Glossa in cap. *Ad probandum* 24. de sententia, et re judicata, Abbas in c. *Sciscitatus*, num. 11. de rescript. Mascard. de probat. concl. 648. Paludan. in 4. d. 17. q. 6. art. 2. Diana p. 8. tract. 1. resolut. 94. Cardenas dissertat. 2. c. 6. art. 5. Card. de Lugo de justit., tom. 2. disp. 37. sect. 3. n. 20 et sequent., et innumerati alii tum Jurisperiti, tum Theologi apud ipsos. Et ratio cur Error communis, cum titulo colorato, seu putativo det jurisdictionem, est, quia Superior, seu Ecclesia, ob bonum commune ad favorem fidelium, ad vitanda gravia incommoda, quæ alias sequerentur, eo maxime quia alias innumeræ animæ perirent, dat auctoritatem, et valorem, supplet defectum veræ jurisdictionis, et tollit omne impedimentum juris humani, seu a jure positivo proveniens. (37. Secus autem, si defectus, seu impedimentum esset juris

naturalis, vel divini, ut si Confessarius esset mulier, vel non esset Sacerdos, quem defectum nec tollere, neque supplere potest potestas humana, neque in eo dispensare, ut recte docent Diana Tract. 2 de potest. Pontificus resolut. 94, in fine, Pignatell., tom. 6, consult. 1, n. 12. Layman., lib. 1, tract. 4, cap. 22, sub num. 9. Cajetan., verb. *Confessio iteranda ex parte Confessarii*, Abbas in cap. 2 de Presbytero non baptizato, et alii passim.

(38. An autem error communis sine titulo colorato, seu putativo det, seu conferat jurisdictionem ad valide absolvendum, res controversa est inter Doctores. (39. Negativam sententiam tamquam communioem, et probabilioem tenent Card. de Lugo, de justit., tom. 2, disp. 37, num. 23. Nugnus, q. 8, art. 5, dub. 1, difficul. 1, p. 436. Thomas Sanchez, lib. 3 de Matr., disp. 22, q. 6 et 7. Cardenas, dissert. 2, c. 6, art. 5, num. 151, qui ex ipso Sanchez, loc. cit., adducit pro hac sententia XL, alios Auctores. (40. Affirmativam sententiam, nempe etiam errorem communem sine titulo colorato cum sola possessione officii dare, seu conferre jurisdictionem ad valide absolvendum, docent apud Sanchez, et Carden., loc. cit., Innocentius, Hostiensis, Joannes Andreas, Decius, Salicetus, Felinus, Petrus, Cynus, Fulgus, Cardinalis, Burgos de Paz. et alii, et præcipue Basilius Pontius, qui mordicus defendit hanc opinionem lib. 3 *Matrim.*, cap. 20, et eam tenent Joann. Sanchez, in select. disp. 44, num. 3. Molfesius, Bordonus, Bonacina, et alii apud Dianam, p. 8, tract. 1, resol. 93 et 94., habentem una cum Caspensi, Silvio, Machado, pro probabili opinionem Pontii; sicuti habet Tampurin., de pœnit., lib. 5, c. 4, § 7, n. 17. Accedit Gobat tract. 7, caus. 3, n. 109. Sporer., tom. 3, p. 3, c. 6, sect. 1, q. 2, num. 714, et pro probabilioem tenent Diana, p. 11, tr. 2, resol. 69, citans sexdecim Auctores: et quod sit vere, et certo probabilis sententia docens, quod error communis sine titulo colorato jurisdictionem conferat, tenet novissime Felix Potestas, t. 1, p. 4, c. 5, n. 3262, citans pro se Dianam, p. 4, tr. 4, resol. 122. Basilius Pontium, de Matr., lib. 5, c. 20. Verricelli, tract. 2, q. 23, n. 15. Sieri, de Pœnit., n. 701. Leandrum, de pœnit., Disp. 11, q. 102, et quamplures alios apud ipsos; Et ratio est, dicit ipse, quia in hoc casu sequerentur eadem incommoda, quæ sequerentur, quando adest error Communis cum titulo colorato. (41. Ut autem quid de me

(1) Si sententia negans, errorem communem titulo desitutum sufficere ad absolutionis validitatem, teste Auctore, communior est; non video quomodo contraria affirmans sit magis pia, communi utilitati, et animarum salutis magis consentanea. Immo oppositum esse statuendum, vir quisquam prudens iudicabit. Quæstio est, utrum absolutio data sine titulo colorato, valida, an invalida sit reputanda, negans sententia communior et probabilior est, et per consequens affirmans, quæ minus communis et minus probabilis est dicenda, fideles periculo exponit frustraneæ suscipiendi absolutionem. Quis porro

sentiam, aperiã, neutram ex his duabus sententiis reprobare audeam, cum utraque suis fulciatur fundamentis, et utraque plurimos habeat Patronos; (42. Sed quamvis sententia negativa sit communior, affirmativa tamen est magis pia, communi utilitati, et animarum salutis magis consentanea; Nec repugnat, immo pium est credere, quod Ecclesia etiam hic suppleat veræ jurisdictionis defectum, et det auctoritatem etiam Ministris sine titulo colorato introductis ad valide absolvendum, maxime ne innumeræ animæ hoc communi errore deceptæ sine ulla sua culpa finaliter pereant (1).

(43. In Confessario, ultra tria requisita ad valide absolvendum; scilicet, intentio, potestas ordinis et potestas jurisdictionis, de quibus abunde a n. 1 et sequentibus, requiruntur alia tria ad rite, licite, et digne absolvendum, scilicet, Probitas, Scientia, et Prudentia. Sic communiter Doctores. (44. Quod in Confessario requiratur probitas, desumitur ex ipsa sui Ordinatione, qua datur Spiritus Sanctus, idest gratia Spiritus Sancti in ordine ad hoc ministerium debite exercendum, dicente Episcopo verba Christi Joan. 20. « Accipite Spiritum Sanctum, quorum remisistis peccata, » etc., quam proinde gratiam ad illud ministerium servare, vel amissam suscitare tenetur juxta monitum Apostoli 2 ad Timoth. 6, ibi: « Admoneo te, ut resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem manuum mearum. » (45. Unde Confessarius, existens in mortali scienter, et sic administrans Sacramentum Pœnitentiæ, peccat mortaliter ex communissima sententia omnium Doctorum. (46. Immo Confessarius, si absolvat in mortali, quamvis continue Confessiones audiat, toties peccat, quoties successive aliquem absolvit, quia administratio Sacramenti toties est completa, neque una spectat ad alteram; tum quia singulis Sacramentis sit gravis injuria. Sic tenet Escobar, Ovid., Pas. erin., Dicastill., Borga, Platel, cum Claudio la Croix, l. 5, c. 1, dub. 3, art. 2, n. 171, et lib. 6, p. 1, c. 2, dub. 1, n. 93. Rosignolus, de Sacramento Pœnitentiæ, qu. 4, art. 11, num. 29, et alii (2); (47. Quamvis tamen id negent aliqui cum Rodriq. apud Escobar., l. 8, n. 230, et varii aliqui dicant esse probabile, quod talis Confessarius tantum semel peccet, ex quo videatur esse unicum tantum continuatum Ministerium, et sic satis esse, si talis Confessarius confitendo dicat, excepi aliquot Confessiones continuas in peccato mortali; Sic Card. de Luca, de pœnit., disp.

dixerit talem sententiam magis piam, communi utilitati, et animarum salutis magis consentaneam? Hinc recedendum omnino non est a sententia communi in jure fundata, videlicet tunc solum jurisdictionem tribui, cum communi errori titulus coloratus accedit. Vid. Fagnan. in cap. *Super eo*, tit. de *Crimine falsi*; num. 8. tom. 5. pag. mili 165. (Nota ex Edit. Rom. 1767.)

(2) Caveat hic lector, ne sub probabilitatis larva laxam amplectatur sententiam, quæ vel ipsis primis Theologiæ moralis elementis repugnat. (Nota ex Edit. Rom. 1767.)

16, sect. 14, § 2, n. 538. Gobat, tract. 7, n. 260. Reiffenst., Theol. Moral. tract. 14, de Sacramento, d. 1, n. 13. Marchantius, t. 3, Tribunalis tract. 3, t. 4, q. 2. Diana, p. 1, tract. 7, resol. 41 et 43. Sporer, t. 3, n. 435 et 775, et alii.

(48. Ut Confessarius licite et digne audiat Confessiones et absolvat, debet habere saltem scientiam mediocrem, qua cognoscat id, quod ad suum spectat officium, et quidquid debet judicare discernat: cap. de *Pœnitent.*, d. 6, § *Caveat*, ibi: « Oportet sciat cognoscere quidquid debet judicare, judiciaria enim potestas hoc exigit, ut quod debeat judicare, discernat. » (49. Dicitur autem notanter debere habere saltem scientiam mediocrem, ad hoc ut advertatur non requiri absolute in Confessariis scientiam eminentem: Duæ enim sunt species scientiæ. Una dicitur *scientia eminens*, et altera *scientia mediocris*. (50. Scientia eminens est illa, qua quis est optime versatus in Theologia morali, et jure Canonico, unde casus omnes quantumvis difficiles scit prompte resolvere, et suarum resolutionum fundatam rationem reddere. Hæc tamen scientia, licet sit utilissima et toto conatu, atque studio prosequenda, nihilominus absolute necessaria non est, alioquin pauci reperirentur sufficientes Confessarii, cum quod deplorandum est, major Confessariorum pars vix scientiam mediocrem attingat. Scientia mediocris est illa, qua Confessarius sciat saltem quænam sint peccata ex genere suo mortalia, et venialia; quænam sint circumstantiæ speciem peccatorum mutantes, vel non; quænam sint regulæ communes, quibus quis excusari possit a præcepto, vel a peccato mortali, quænam sint casus reservati, et Censuræ, saltem a quibus ipse absolvere non potest, ne se extendat ultra suam facultatem, et ea potissimum, quæ ad legitimam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem requirantur; et alia hujusmodi, ut obligationes, et onera, quæ per ipsa peccata communiter contrahi solet, ut sunt restitutiones bonorum, famæ, vel fortunæ, satisfactiones pro injuria. (51. Et hanc mediocrem scientiam tenentur omnes Confessarii habere secundum magis, et minus, attenda diversitate personarum, et locorum; nam in ordine ad alias minor scientia: major enim scientia requiritur in illo Confessario, qui audire debet personas assuetas negotiationibus, et quæ in rebus arduis implicantur, quam in eo, qui audit rusticos, ac simplices personas; sic major scientia, et peritia pro Confessionibus excipiendis in Civitatibus, ubi sunt arduiora commercia, et implicationes casus, quam in Villis, et Pagis, ubi inter simplicem populum pauca ardua solent occurrere.

(52. Unde Confessarius, qui conscius suæ

(1) Hic subjicienda esse duximus verba Sapientissimi Pontificis Bened. XIV. pro scientia Confessarii necessaria, in Encyclica ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, atque Episcopos data, die 26. Jan. 1749. § 21. T. 5. Ballar. p. 155. edit. Rom.

insufficientiæ, et ignorans quæ scientiæ mediocris saltem principaliter scire tenetur, peccat mortaliter se exponendo ministerio Confessionis, cum perverse, et inique tam tremendo ministerio, et sacramentali iudicio se ingerat non idoneus, et insufficientis Judex scienter existens. (53. Immo Confessarius ignarus ex ignorantia absolvens quem absolvere non poterat ob reservationem peccati, vel indispositionem pœnitentis, dupliciter peccat mortaliter, nempe, et actuali Sacrilegio indebite absolvendo, et ignorantia eorum, quæ ad officium suum spectant, ratione cuius versatur in continuo statu peccati mortalis omissionis, quando necessary scientiam sibi comparare culpabiliter negligit. (54. Quinimodo talis ignarus Confessarius, nisi congruam diligentiam sincere proponat, ipsemet confitens ab alio Confessario absolvi non poterit, utpote indispositus defectu necessary propositi emendandi negligentiam illam mortalem; Sic Sporer tom. 2 Sacramental. n. 786. (55. Caveant igitur Confessarii ignorantiam suam conscii, et sciendi incurrit, ne dum alios solvere student a vinculis peccatorum, seipsos strictioribus nexis illaqueent. Nec enim eis prodesse potest excusatio, quod fuerint ab Episcopo prævio examine, vel aliter approbati, quandoquidem examen illud non facit scientem, eo vel maxime, si ex illis sint, (56. qui semel ac taliter qualiter approbati sunt, numquam, aut fere numquam oculos Theologorum Moralium libris admovere dignantur, ne dicam, quod tamquam merces proscriptam præ manibus habere verentur. (57. Sed, et insuper caveant a similibus Confessariis ipsimet pœnitentes, et ne se æternaliter prodant quærendo ex animo, et studiose (ut in dies, proh dolor! frequenter accidit) hujus furfuris Confessarios. (58. Qui enim mala fide confitetur Confessario quem certo novit esse ignarum, nec scire distinguere inter lethalia, et venialia, inter lepram et lepram, graviter peccat, nec consequitur effectum absolutionis, unde tenetur eam confessionem iterare; Suarez tom. 4, disp. 28, sect. 2, num. 9; Reginaldus lib. 1, num. 151; Rosignol. de Sacrament. Pœnitent. part. 1, quæst. 7, art. 13, num. 19, ubi dicit in hoc alios communiter convenire, talis enim pœnitens cooperatur actioni per se male quærendo studiose Confessariorum indignum in præjudicium animæ suæ, unde justum est, ut cum circa se sit negligens, negligatur a Deo, juxta cap. 1 de pœnitent. dist. 6 in princip. ibi: « Qui vult confiteri peccata sua, ut inveniat gratiam, quærat Sacerdotem scientem ligare, et solvere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo, qui eum misericorditer monet, et petit, ne ambo in foveam cadant, quam stultus evitare noluit (1). »

(59. Prudentia Confessarii circa pœnitentem

« Optandum sane esset, inquit, ut quilibet Confessarius ea polleret scientia, quam eminentem appellat: Verum, cum hæc dos paucorum sit, necesse omnino est, ut competenti saltem scientia sit instructus. Nec meliora sperare licet; cum Moralis Theo-